

luntas iterum est vel naturalis, hinc *Pietas*, vel *Lex*, hinc *Jus divinum positivum*; vel superior est pacto, ut homo, in *Jus Civile*. *Pietas* igitur tertius est gradus *Juris Naturæ*, tribuitque cæteris perfectionem & effectum. Nam Deus, quia omniscius & sapiens est, *Jus merum* & *æquitatem* confirmat; quia omnipotens, exequitur. Hinc coincidit utilitas generis humani, imò decor & harmonia mundi, cum voluntate divina. Ex hoc principio jam ne bestiis quidem & creaturis abuti licet. Huc reducuntur meditationes *Sforziæ Pallavicini*. Ex hoc fundamento, ne se ipso quidem abuti licet, quia nos ipsi sumus Dei, cui omnipotentia tribuit *jus in omnia*. Hinc illud præceptum: *Honestè vivere*. Cùmque *Jus strictum* & *æquitas* careat vinculo *Physico*; Deus accedens efficit, ut quicquid publicè, id est, generi humano & mundo utile est, idem fiat etiam utile singulis; atque ita omne honestum sit utile, & omne turpe damnum.